

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0166

0164

0170

0160

0175

0155

0215

0115

0265

0065

0665

155

statim prae nimia salsedine corroduntur oris interiora, ac si aquam fervidam imposuisset; hoc expertus sum. Insuper, quia aqua crassa est et salsissima, ille, qui manus imponit, sentit in manibus punctiones, ac si essent plenae pulicibus et culicibus, et fricare eas oportet, ac si scabiosae essent, et hoc multis horis sustinebit, nec de facili potest aqua haec de manibus abstergi, ac si eas quis oleo intinxisset. Sed et foetor de aqua illa exhalat, qui abominationem facit, et ad evomitandum concitat, unde peregrini diutius ibi manere non possunt. Lapides, qui in mari jacent, et pro parte supra eminent, extra aquam sunt omnes, ac si essent glacie vestiti, et littus totum prope aquam album est, ac si nive recenti esset opertum; nix tamen non est ibi, nec glacies, sed sal acutissimum et valde amarum. Credo, quod unum cochlear salis illius plus saliret, quem X de sale nostro.

Porro reliqua terra, sale non perfusa, juxta tamen est nigra et quasi vehementi igne adusta. Sodomorum luet impudicitiam, ut clarius patebit in sequentibus. Vulgares dicunt, quod ruinae murorum, super quas mare intravimus, sint reliquiae domus Loth, filii fratris Abrahae, qui habitavit in Sodomis, ut dicitur Genes. XIII. Cumque aliquantulam moram faceremus juxta hoc mare, stabant ductores nostri Ameth et sui supra et nos clamoribus vocabant ad recessum, sed et nos (B) ipsi a loco recedere festinavimus, quia non delectationem, sed abominationem et pavorem ibi habuimus, ac si staremus in fossa cadaverum, propter foetorem, vel in loco, in quo strictissimo judicio magna hominum multitudo fuisset peremta saevissimis poenis. Timuimus enim omnipotentis iram, ne et nos peccatores involveret Sodomitarum poenis, sed et dies decrecere incipiebat, et sol in occasum vergebat. Ascendimus ergo de mari ad nostros ductores et ad nostras bestias, disponentes nos ad recessum. Porro ante recessum aliqua de ipso mari sunt dicenda.

De valle illustri vel aulone Sodomae, ubi nunc est mare mortuum.

Liber Genesis cap. XIX. dicit nobis originem maris mortui. Ab initio enim creationis non erat ibi mare, nec

Ende

Anfang